

nodo diocesano si è posta la scomunica ipso facto agli confessori ordinarij: ed alcune religioni per costituzione generale han proibito con pene gravissime agli confessori ordinari delle monache a loro soggette, che si accostino alli loro monasteri nel tempo, che vi sta lo straordinario; che però la Santità di nostro signore inerendo alle suddette disposizioni ordina e comanda alle RR. Madri superiore, e monache di tutti li monasteri et conventi di quest' alma città, ed anche agli stessi confessori ordinarij et e straordinarij delle medesime le cose infrascritte.

« Primo, che in occasione, che si concede secondo il solito il confessore straordinario a qualche monastero, debbano, come sopra, presentarsi al medesimo tutte le monache, incominciando dalla superiora, le novizie, educande, ed altre secolari, che colle dovute licenze vi dimorano, sotto pena, alle superiore della privazione del loro officio, ed alle monache della privazione della voce attiva e passiva per un anno, siccome sta disposto dall' editto emanato sotto li 18 Luglio 1603, d'ordine della san. mem. di Clemente VIII ed alle secolari sotto pena di esser licenziate dal monastero.

« Secondo, che per tutto il tempo che dura la facoltà concessa al confessore straordinario, non ardisca il confessore ordinario in qualsivoglia modo impedirlo, nè accostarsi al monastero, e molto meno sentire le confessioni di alcuna monaca, ancorchè sia la superiora, novizia, o conversa, nè di altra persona, che dimora nell' istesso monastero, nè queste debbano confessarsi al medesimo, sotto pena della privazione dell' officio al detto confessore, ed alle monache sotto le pene suddette, come parimente fu ordinato nel medesimo editto.

« Terzo, per conservare la pace nelli monasteri, e per buona direzione, e profitto spirituale delle religiose ordina la Santità Sua alle monache e secolari suddette sotto le medesime pene, ed a tutti li confessori ordinari e straordinarij, secolari e regolari di qualsisia monastero di quest' alma città, sotto pena di carcere, ed altre ad arbitrio, che, finito, è terminato che hanno il loro officio, non debbano più accostarsi alli detti monasteri, nelli quali hanno sentito le confessioni sacramentali, nè tenere corrispondenza con qualsisia monaca, inclusa anche la superiora, novizia, educanda, o altra, che dimora nelli suddetti monasteri, benchè sia per lettere, ed in materie di spirito, essendosi osservato coll' esperienza, che simili corrispondenze, e direzioni spirituali partoriscono confusione, e scissure nelle comunità religiose, e quel ch' è più, la poca obbedienza alli confessori ordinarij e straordinarij attuali.

« Finalmente la Santità Sua ordina, che il presente editto sia universale a tutti li monasteri, e case d' Oblate di quest' Alma città, anche quelli governati da' regolari, e che hanno protettori particolari, ancorchè fossero gli eminentissimi sig. cardinali.

« Volendo, che il presente ordine, intimato che sarà alli monasteri, e loro confessori, con lasciarne la copia, o l' esemplare, che dovrà star sempre affisso nel monastero, e nella stanza del confessore, abbia la medesima forza, come se fosse a ciascheduno, o ciascheduna personalmente intimato.

« Dato in Roma dalla nostra solita residenza; questo dì 12 Decemb. 1708.

« G., card. vicario.

« N. A. Can. Cuguid, segr. »

(38. Confessarius extraordinarius nunquam datur pro moniali particulari. Eadem sacra congreg. Episcop. et Regul. in *Panormitana* 27 Maii 1603. (39. Nec perpetuus, neque ad tempus. Ead. Sac. cong. Episcop. in *Janiensi* 27 April. 1657, ex d. sess. xxv, cap. 10.

(40. Nisi per sacram Penitentiarum pro una vice tantum, vel de licentia sacre congregationis, ut decrevit die 1 Septemb. 1645 et 11 Januar. 1647, apud Pignatell., *loc. cit.*, num. 235. (41. Potest tamen episcopus ex aliqua speciali ratione concedere extraordinarium etiam moniali alicui particulari, puta in articulo mortis pro serenitate moribundæ; quia cum in tali periculo animarum salutis omnibus mediis sit succurrendum, talis ingressus est rationalis juxta exigentiam, cap. *Unic.*, De statu regular., in 6, et necessarius juxta Conc. Trident., sess. xxv, cap. 5; Donat., *Prax. rer. regular.*, tom. IV, tract. 13, q. 29; Passerin., *De statu homin.*, tom. II, q. 187, n. 291; Monacell., *loc. cit.*, n. 6; Bordon. in *Miscell.*, decis. 47; D. Cajetan. de Alexandris, *loc. cit.* c. 6, § 13, q. 4, et alii.

(42. Confessarius extraordinarius potest deputari a superioribus quolibet anni tempore, et ad dies sibi bene visos, prout suadent circumstantiæ hic et nunc concurrentes; quia cum concilium Tridentinum nihil determinet, neque circa tempora, in quibus fieri debet deputatio, neque circa dies pro audiendis confessionibus concedendos, utrumque relinquitur arbitrio ipsorum prælatorum; praxis tamen fere communis est, ut dicta deputatio fiat unoquoque quadrimestri, et quoad dies, alicubi determinantur quindecim, alicubi plures, alicubi minores, et alicubi nulla sit temporis præscriptio: unde in hoc servanda est consuetudo cujusque diocesis, aut ordinis, cum consuetudo habeat vim legis, cap. *Cum tanto* 12, De consuetudin. (43. Dies autem determinati, verb. gr. quindecim, si non obstat vel consuetudo, vel statutum aliquod particulare, incipiunt currere a die cœpti exercitii, quia tempus respiciens actum, incipit cum ipso actu; ut tradunt Glossa in cap. *Anteriorum* 28, caus. 2, q. 6; Imola, Baldus, et alii.

(44. Tempore deputationis confessarii extraordinarii expedit quod ordinarius non accedat ad monasterium. Imo pro monasteriis Urbis hoc præcipitur expresse confessariis ordinariis, sub pœna privationis vocis activæ et passivæ, et privationis officii, et sub eisdem pœnis prohibentur moniales om-

nes ipsis confiteri pro tali tempore. Sic in adducto edicto sub n. 37, § 3. Idem pro confessariis ordinis Minorum de Observant. disponunt Statuta Sambucana, cap. 11, § 17, n. 12.

(45. Sic etiam expedit quod confessarii omnes, tam ordinarii quam extraordinarii, tam sæculares quam regulares, completo suo officio et ministerio, non amplius ad dd. monasteria accedant, neque ob motivum directionis et conferentiæ spiritualis, neque correspondentiæ etiam per litteras ob tale motivum tenere cum aliqua moniali, inclusa etiam superiorissa, novitia, educanda, aut alia quacunque inibi degente. Imo pro monasteriis Urbis hoc expresse præcipitur omnibus dictis confessariis sub prædictis, aliisque pœnis. Sic in d. edicto, § 3.

(46. Prælati regulares in regnis Hispaniarum tenentur, saltem semel in anno, deputare pro monasteriis sibi subjectis confessarium extraordinarium, aut sæcularem, aut regularem alterius diversi ordinis; alias ipsum poterunt deputare episcopi. Sic expresse statutum novissime Innocentius XIII constituit. 1 incipit. In *supremo*, § 19, ibi: « Cumque ex eodem concilio Trid. confessor. extraordinarius bis, aut ter in anno offerri monialibus debeat, qui omnium confessiones audiat: si in posterum superiores regulares quoad monasteria ipsis subjecta toties prædictum extraordinarium confessarium deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint sacerdotem, aut sæcularem, aut regularem alterius diversi ordinis professorem, in his casibus episcopi pro suo arbitrio et conscientia deputationem hujusmodi facere possint, nec illa quovis titulo aut prætextu a superioribus regularibus valeat impediri. » Et iterum statutum idem Benedictus XIII, constit. 10, incip. *Pastoralis officii*, § 7, graves pœnas imponens superioribus contravenientibus, ibi: « Et quia mentis ac intentionis nostræ est, ut remota quavis diversa intelligentia et interpretatione, præcise serventur ea quæ in eadem Innocentii prædecessoris constitutione super assignatione, seu deputatione confessarii extraordinarii monialibus sub prælatorum regularium gubernio viventibus disposita fuerunt, statuimus quoque, ut superiores, qui decretum illud quocunque titulo vel prætextu non servaverint, vel ejus executionem aliquod impedimentum directe aut indirecte præbuerint, ipso facto suspensionem ab eorum officii, nec non privationem vocis, tam activæ quam passivæ, incurrant. » (47. Et quod pro monialibus subjectis regularibus deputentur confessarii extraordinarii, etiam qui ejusdem ordinis non sunt regulares, jam decreverat sacra congreg. 12 Julii 1577, in *Neapolitana*, apud Pignatell., t. VI, consult. 85, n. 235, in fine.

(48. Confessarii et capellani monialium possunt celebrare missas sanctorum, de quibus ipsæ recitant officium, sed cum missali Romano, et de communi, non vero missas

proprias eorumdem sanctorum variis ordinibus a sacra congregatione concessas. Sic decrevit, ac servari mandavit sac. congreg. Rit. die 20 Novemb. 1717, approbante et confirmante Clemente XI, die 1 Decemb. ejusdem anni 1717, ut apparet in ejus *Bullario*, decret. 28 sacre congr. Rit.

(49. Pro confessariis monialium, quamvis de jure communi satis sit ætas ad sacerdotium requisita, ut patet de parochis qui statim ac in sacerdotio constituti, alia ætate non expectata, suarum ovium utriusque sexus confessiones excipiunt; nihilominus sac. congregat. Episcop. et Regular. in *una Venetiarum* 2 Maii 1617 et 7 Junii 1620 statuit, confessarios monialium debere esse in ætate supra quadraginta annos; quod pro confessariis ordinis Minorum de observantia statuunt etiam sua statuta Sambucana cap. 11, § 17, n. 1; et hoc extendi debet etiam ad confessarios extraordinarios, prout pro reformatione declaravit sac. congr. Concilii in *Cosentina* 26 Novembris 1689, lib. xxxix *Decret.*, fol. 340. Et juxta epistolam encyclicam sub die 16 Martii 1703, de mandato Sanctissimi directam omnibus ordinariis Italiae et insularum adjacentium, debent confessarii monialium esse ætate provecti, prudentes, zelantes, et vita exemplari conspicui. (50. Socii autem confessariorum debent esse ætatis ultra quinquaginta annos, vitæque exemplaris, ut decrevit sacra congreg. Episc. et Regular. in *Nolana* 21 Februar. 1617; et Alexander VII, constitut. incip. *Felici*, § 9, statuit, quod socii « sint probatæ vitæ, et maturæ ætatis. »

(51. Confessarii monialium non possunt ingredi clausuram ad sepeliendas moniales, vel pro celebrandis exsequiis. Sic expresse decrevit sacra congreg. Episcop. et Regul. in *Reatina* 10 Martii 1577; in *una Dominicanorum* 30 Jan. 1582; in *Ulyssiponen.* 11 Aug. 1620. (52. Alias omnes culpabiles incurrunt excommunicationem violatæ clausuræ: eadem sacra congreg. Episcop. in *Bononiensis*. 20 Augusti 1596, apud Nicol., in *Floscul.*, verb. *Sepultura*, n. 6. Et de facto Alexander VII, constit. incip. *Felici*, § 9, specificans actus ad licitum ingressum confessarii, in clausuram, non memorat ingressum ad peragendum officium funeris, sed solum peragenda alia officia et ministeria, ibi: « Ad hæc confessarius sanctimonialium, tam ordinarius quam extraordinarius minime ingrediatur septa monasterii, nisi ad sacramenta penitentiae, Eucharistiæ et extremæ unctionis ministranda monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium. » Ubi, ut vides, Pontifex utitur dictione *nisi*, quæ est exclusiva aliorum cæterorum, per Sperell., decis. 56, n. 32. (53. Neque consuetudo excusat a censura inflictæ adversus violatores clausuræ, nec ab ea quæ infligitur ab Alexandro VII, in d. constitut. incip. *Felici*, quia Pontifex omnibus et singulis etiam consuetudinibus, quoad ea, quæ statutis in d. constitutione adversantur, expresse et specialiter dero-

gat, subacta cuilibet facultate, et auctoritate aliter iudicandi et interpretandi, ac adjecta clausula decreti irritantis, ut patet in fine ejusdem constitutionis: Unde sequitur, quod episcopi, alique superiores in hoc casu jam declarato per sac. congr. et Summum Pontificem, non necessario, non valeant licentiam concedere, nec permittere et tolerare, quod prætextu consuetudinis (quæ potius corruptela est) confessarii ingrediantur clausuram ad officium funeris peragendum; hinc confessarii caute legant auctores contrarium scribentes, et reflexe advertant quod si pro tali officio clausuram ingrediantur, excommunicationem incurunt juxta supra laudata decreta, ut recte firmant Pax Jordan., tom. II, lib. VII, tit. 12, n. 88, vers. *Item neque prætextu*, et n. 173; Nicolius, in *Flosculis*, verb. *Sepultura*, num. 6, ubi citata decreta affert; Monacell. part. I, tit. 9, formul. 3, n. 8 et 9; Matthæucci *Official. curiæ*, cap. 13, n. 38 et alii. Videantur etiam Pignatell., tom. VI, consult. 83, n. 234; Gavant. in *Manual. episcop.*, verb. *Monialium clausura*, n. 40; Barbosa, lib. I *Jur. eccles. univers.*, cap. 44, n. 133.

(54. Confessarius monialium clausuram ingressus ad administranda sanctissima sacramenta, recta via et absque diverticulo eat, redeatque, nec in alia monasterii parte divagetur, etiam occasione visitandi alias infirmas, quibus sacramentorum administratio non est necessaria. Sacra congregatio Episcoporum et Regul. 13 Septembris 1583 apud Barbosam, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Confessarius monialium*, n. 2; Lezana, in *Summa qu. regul.*, tom. III, verb. *Clausura*, num. 26; Gavant., in *Manual. episcop.*, verb. *Monialium clausura*, n. 44. (55. Cum aliqua monialis laborat in extremis, conceditur confessario pernoctatio in sua solita mansione extra clausuram prope monasterium, ut, ingruente necessitate, illico præsto esse possit vocatus. Eadem sac. congreg. Episc. 22 Decembr. 1592, apud Pignat., tom. VI, consult. 83, n. 233.

(56. Confessario monialis infirmæ confessionem audiente cellæ janua aperta remaneat, et ambæ comitantes ad ejusdem cellæ januam morentur, ita ut confessarius, et infirma ab eis commode cerni possint. Eadem sac. congregat. Episcop. die 13 Septembris 1583 et novissime Innocentius XI, per epistolam encyclicam ejusdem sacræ congr. Episc. sub datum Romæ 21 Martii 1682. (57. Confessarii quovis tempore de nocte in casu necessitatis possunt clausuram ingredi. Ead. sac. congr. 13 Sept. 1583. (58. Confessarius non potest ingredi clausuram ad audiendam confessionem illius infirmæ, quæ potest accedere ad sedem confessionalem. Ead. sac. congr. 13 Sept. 1583. (59. Confessarii nullatenus ingredi possunt clausuram prætextu comitandi operarios, medicos, chirurgos, vel alios: eadem sac. congreg. Episc. 13 Sept. 1583. (60. Confessarii non possunt ingredi clausuram ad conspergendum cellas monialium, aut alia loca aqua benedicta in die Sabbati sancti, aut

quolibet alio tempore: sac. congr. Episc. 4 Sept. 1596. (61. Confessarii nequeunt ingredi clausuram ad exorcizandam monialem energumenam: sac. congreg. Episcoporum et Regular. 1 Julii 1606.

(62. Confessarius non potest ingredi clausuram monialium ad inibi missam celebrandam, ut pluries declaravit sac. congr. Episc. et signanter in *Lancianensi*, et in *Pistoriensi* 16 Julii 1685; in *Mantuana* 13 Jun. 1591; in *Bononien.* 2 Jan. 1601. (63. An autem confessarius ingredi possit clausuram ad sumendam particulam consecratam ipsi in actu communicandi moniales in ecclesiam interiorum elapsam? Variant doctores. Negativam sententiam tenent Bissus, in *Hierurg. sac.*, tom. II, verb. *Particulæ*, num. 45, § 12; Castaldus, cui adhæret Quartus, in *Rubric. miss.*, part. II, tit. 10, sect. 3, difficult. 4, et alii volentes particulam in tali casu esse colligendam a monialibus, vel abbatissa, et confessario, seu sacerdoti porrigendam; quia, dicunt ipsi, ingressus in monasterium strictius prohibetur, quam tactus hostiæ consecratæ in casu necessitatis. At hoc solum admitti posset, si unica particula caderet intra clausuram, et ibi adesset monialis communicanda, quæ in tali casu genuflexa posset eam reverenter sumere, et sic communicare, ut tradit ipsemet Quartus *l. cit.*, et Clericatus, *De eucharistiæ sacramento*, dec. 44 et alii. In casu autem, quo nulla adesset monialis communicanda, varii doctores, inter quos Clericatus, *loc. cit.*; D. Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monialium*, c. 7, § 6, quæst. 7, recte dicunt, posse confessarium ingredi ad sumendam talem particulam, quia strictius obligat reverentia erga sanctissimum hoc sacramentum, quam clausura; quia hæc habetur ex præcepto ecclesiastico, illa vero ex præcepto divino, ut ex D. Thoma, III part., qu. 83, art. 3.

(64. Confessarius monialium, etiam regularis, non indiget speciali licentia ad ingrediendum pro necessitatibus sui officii, modo per monasterium non vegetur, sed, expleto ministerio, statim exeat: sac. congr. Episc. et Regular. in *Comen.* 9 Mart. 1609. Confessarius debet ingredi clausuram cum colla, et stola, et non aliter: sac. congreg. Episc. in *Lucen.* 29 Martii 1589, et 22 Dec. 1602. Et hoc per quameunque necessariam causam ingrediatur: ead. sac. congr. Episc. in *Cajetana* 29 Januarii 1627, apud Nicol., in *Flosculis*, verb. *Clausura*, num. 34.

(65. Confessarii monialium, quamvis generaliter deberent ingredi absque socio pro ministrandis sacramentis pœnitentiæ, Eucharistiæ et extremæ unctionis monialibus infirmis, ex decreto sacræ congr. Episc. 13 Sept. 1583, relato a Pignatell., tom. VI, consult. 83, num. 231; tamen hodie confessarius regularis, non obstante antiqua consuetudine, absque socio ingredi non potest, sed debet ei assignari socius, qui ipsi assistat et sit ætatis ultra 50 annos, vitæque exemplaris: sac. congr. Episc. et Regular. in *Nolana* 21 Februarii 1617, apud Lezanam,

tom III, verb. *Clausura*, nu. 27; Monacell., part. I, tit. 9, formul. 5, num. 2; Barbosa, in *Summa apostolic. decis.*, verb. *Confessarius monialium*, num. 14, et expresse Alexand. VII, in cit. constit. incip. *Felici*, § 9, ibi: « Nec unquam ingrediatur nisi cum socio, qui sit probatæ vitæ, semperque maneat in ea parte monasterii, qua confessarium videre, et ab ipso videri semper possit. »

(66. Confessarius regularis monialium, ejusque socius (confessionis ac sacramentorum administrationis casibus exceptis) easdem moniales absque sacræ congregat. licentia alloqui non possunt. Ead. sac. congr. Episc. et Regul. in *d. Nolana* 21 Februarii 1617; apud eosdem *locis citatis*. Vide art. antec., num. 57.

(67. Confessarii extraordinarii monialium a monasteriorum in quibus degunt, aut religionis oneribus pro eo tempore duntaxat, quo in confessionibus audiendis occupantur, excusantur. Ead. sac. congr. Episc. et Regular. 10 Martii 1593, apud Barbosam, *loc. cit.*, num. 7.

(68. Habitatio confessarii, licet debeat esse vicina, non tamen sit conjuncta seu contigua monasterio, sed ab eo disjuncta non solum per parietes sed etiam per tecta. Sac. congr. Episc. in *Ariminen.* 22 Jan. 1576, 19 Augusti 1578, 2 Jan. 1579, et 22 Jan. 1593; in *Bononien.* 3 Maii 1593; in *Januen.* 14 Novemb. 1603; in *Mantuana* 22 Novemb. 1604, et sæpe alibi, et expresse statuit Alexand. VII, in d. constit. incip. *Felici*, § 10 et 11, sub gravissimis pœnis contra superiores, et confessarios regulares transgressores; et novissime sacra congr. Concil. in *Ulixbonen. occidentalis* 10 Septemb. 1722, ubi decrevit quod confessarii monialium non possint habitare in atrii monasteriorum muro circumvallatis contiguus monasteriis, et habentibus portam quæ clauditur; apud Ursavam, in *Miscellaneo primo sacro et profano*, litt. C, n. 238.

(69. Confessarii monialium debent audire confessiones ex sede confessionali collocata, non quidem in sacristia, aut alio occulto loco, sed in ipsa ecclesia exteriori, ut habetur ex declaratione sac. congr. Concil. in *Camerin.* 29 Novemb. 1605, his verbis: « Confessionalia ex sacristiis, et aliis locis occultis removeri debent, et collocari in ecclesiis exterioribus monialium; » et in *Faventina* 7 Martii 1617, his verbis: « Confessionalia monialium in exterioribus ecclesiis omnino collocentur, et si illæ in hoc renitentes fuerint, interdicti debent. » Sic apud Barbosam, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Confessionalia*, n. 1 et 2; et idem statuit ead. sac. congr. Conc. in *una Salutarium* in respons. ad 4, die 20 Sept. 1642.

(70. Confessario monialium certa annua merces constitui debet, quæ juxta morem et qualitatem regionis victui illius sufficiat, eademque merces monasterio, in quo degit idem confessarius, si regularis sit, persolvatur. Cæterum ordinarii locorum prohibeant monialibus sub aliquibus pœnis, non tamen censurarum, ne ultra mercedem illam

aliquid communiter, vel privatim eidem confessario, vel aliis quibuscunque fratribus tribuant, eisdemque fratribus, ne a monialibus etiam sponte oblatum, aut donatum recipiant, sub iisdem pœnis inhibeat. Sic sac. congr. Episc. et Regul. sub die 29 Novembr. 1650, apud Barbosam, *loc. cit.*, verb. *Confessarius monialium*, n. 10. (71. Unde confessarius accipere non debet a monialibus victum dietium, nec utensilia, vel lineam suppellectilem, sed tantummodo annuam provisionem. Ead. sac. congr. Episc. in *Bononien.* 19 Junii 1601; in *Januen.* 28 Januarii 1603; in *Recinaten.* 19 Aprilis 1624. (72. Quæ non excedat duos julios pro quolibet die. Ead. sac. congr. Episc. in *Neapolitana* 27 Septemb. 1652.

(73. Confessarii monialium nullo modo possunt comedere, refici, aut cibum sumere in earum monasteriis, seu in locis ubi sunt crates, vel rotæ in monasterium respondentes; vel in locis adeo vicinis, ut videri, vel audiri possint a monialibus, neque ante portam clausuræ: ut expresse pro omnibus regularibus statuit sac. congr. Episc. 13 Septemb. 1583 et Nonis Maii 1590, in decreto jussu Sixti V edito, jam relato supra art. 4, n. 14, ubi expresse mandat, quod ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum sumant, et solum eis permittit in ædibus vicinis refectionem diurnam sumere diebus generalium confessionum, si eorum conventus, in quibus degunt, nimium distent a monasterio monialium.

(74. Confessarii monialium an possint eas absolvere in foro conscientiæ a censuris occultis, et pœnis Papæ reservatis? Vide supra, art. 3, a num. 16 ad 23.

(75. Ad absolvendam monialem repentino accidenti correptam, et jam jam animam agentem, in defectu sui proprii confessarii potest licite quilibet alius confessarius, seu simplex sacerdos prope monasterium existens, seu casualiter transiens, clausuram ingredi sine ulla licentia expressa, et tali moribundæ beneficiū absolutionis imperitari; si enim ex decretis sacræ congregationis allatis supra, art. 3, n. 84, potest quis licite sine licentia clausuram ingredi ad extinguendum incendium, vel ad succurrendum monialibus in aliis casibus repentiniæ ruinæ, multo magis poterit confessarius, seu simplex sacerdos sine licentia clausuram ingredi ad absolvendam monialem in tali casu extremæ necessitatis; quod enim non est licitum in lege, necessitas facit licitum; cap. *Quod non est 4*, De regul. juris, et necessitas non habet legem; cap. *Sicut 11*, De consecrat., dist. 8, cap. *Omnis 1*, De feriis; cap. *Consilium 2*, De observat. jejunior; cap. *Consulisti 2*, De celebrat. missar. In qualibet enim dispositione intelligitur excepta necessitas; cap. *Licet 6*, De pœnit. et remiss. Et ad hoc facit concilium Tridentinum sess. XIV, *De sacram. pœnit.*, cap. 7, ubi dat facultatem cuilibet simplici sacerdoti, ut sine alia licentia, aut approbatione, possit absolvere pœnitentem in articulo mortis constitutum etiam ab omni-